Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift



quo ceteris que de eo narrantur merito fides possit adhiberi.

Accidit aliquando in die sollempni uigiliarum pasche
oleum de esse luminaribus. Cumque id per ministros innotuisset
meror plebi maximus fuit. Sed narcissus fide fidens ministris
imperat haurire aquam sibique deferre. Cumque detulissent ora
uit et benedixit aquam et infundi luminaribus precepit. Tum
repente miro et seculis inaudito genere uirtutis natura aque
in olei pinguedinem uersa splendorem luminum etiam solito
reddidit clariorem. Ad fidem autem rei a plurimis religiosorum
fratrum ex eodem oleo quod uersum de aqua fuerat reseruatum est.
ita ut ad nos usque miraculi huius indicium perueniret.

Et in hoc quidem fidei eius ac meriti habeatur exemplum. ani
mi uero uirtus quanta in eo fuerit alio nichilominus uno ex eius gestis
opere declarabitur. Is namque cum intercetera uirtutum suarum bona esset
ualde constantis animi et iusti recliquique indeclinabiliter te
nax. quidam homunculi nequam male sibi conscii metuentes
ne criminum suorum si arguerentur non possent effugere uindictam
perueniunt factionibus et circumuenire parant eum. cuius iudicium
uerebantur. Concinnant igitur ad uersum eum infame satis et noxium
crimen. Conueniunt auditores testes ex semetipsis producunt.
qui sub sacramento iuramenti que obiciebantur confirmarent. Quorum
unus testis ita ne igni consumeretur uera se dicere testabatur.
alius ita ne regio morbo corrumperetur. tercius ita ne luminibus
orbaretur. Et quamuis ne iuramentis quidem istis quisquam fidelium
et dominum timentium crederet. eo quod uita narcissi et institu
tio ac pudicicia ab omnibus nosceretur. ipse tamen eorum que